



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 52. Wittenbergici Ducis Oratores Tridentum venientes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

§. LII.

Sæcul XVI.

A.C. 1551.

Wittembergici Ducis Oratores Tridentum venientes.

Cum interea Tridenti de omnibus his- Thuan. Hist. 8. v. 287.
 ce articulis ageretur, ac necessaria Sleid. t. 23. p. 831.
 pro Sessione ad diem vigesimam quin-
 tam Novembris indicta disponerentur,
 ad eandem urbem Wittembergici Du-
 cis Oratores exeunte Mense Octobri ad-
 venerant. Erant hi nonnisi duo The-
 doricus Pleningerus, & Joannes Hec-
 linus, quibus a Duce injunctum, ut fi-
 dei suæ confessionem scripto editam
 publice Synodo exhiberent, suæque pa-
 triæ Theologos lubenter Tridentum
 adventuros nuntiarent, eo fine, ut am-
 plius mentem suam explicare, doctri-
 namque tueri possent, dummodo ipsis
 juxta Basileensis Concilii normam ido-
 nee caveretur: igitur Oratores Triden-
 tum delati mox Montfortium Comitem
 Cæsaris Legatum adeunt, atque exhi-
 bito Ducis fui diplomate, ac deman-
 dati negotii ratione exposita Comiti sig-
 nificant, quod ipsis fuerit injunctum,
 ut quosdam articulos Ducis sui nomine
 in Synodo proponerent. Ad hæc Co-
 mes, ut Legatum Pontificium præpri-
 mis ipsi adirent, persuadere conatur:
 cum autem hi vererentur, ne eo ipso, si
 Pontificis Legato rem communicassent,

Hist. Eccles. Tom. XL.

G jus

Sæcul. XVI. jus illi, ac præcipuam supremi Judicis
A.C. 1551. auctoritatem, ipsorumque caußam co-
 noscendi facultatem tribuere videren-
 tur non sine magno fortassis caußæ suæ
 dispendio, hinc Comitem rogarunt
 quatenus haud iniquo ferret animo, si
 Legatum adire different, donec datis
 ad Ducem literis, quid hac in re fieri
 vellet, ex ipso inteligerent. Interea
 Comes totam rei seriem Legato expo-
 suit, qui eidem in responsis dabat: (*)
Wittembergicis id faciendum, quod alii
omnes Oratores facere consueverunt, nempe
legatum Pontificium, & cæteros Concili
Præfides primum conveniendos, iisque Sum
mam legationis exponendam: eant itaque bo
nis avibus, & ab eo omnia humanitatis off
cia expeditent. Wittembergici responso
 hoc per Comitem accepto non conten-
 ti, ajunt, unum esse ex capitibus, quæ Ger-
 mani requirunt, ut in Concilio Papa non
 præsideat: se igitur cum ejus legato non
 communicatueros, nisi Principem suum id
 velle

(*) Hujus responsi mentionem nec Thurnus, nec Sleidanus, quos Continuator allegat, faciunt, solus vero Sarpius insignis ille mendaciorum Architectus ejusdem testis est: eum vero citare Continuator plerumque omisit, ne forte suæ historiæ fidem ob tam iniquum te-
 stem suspectam redderet.

*velle cognoscant, ad quem literas jam datu-
ri, & quid in eo fieri vellet, exspectaturi
essent.*

Sæc. XVI.

A.C. 1551.

Evidem Comes summa ingenii dexteritate tentabat ab Oratoribus legationis suæ arcana elicere, ut legatum de iis certiore faceret. At illi generalibus suis mandatis inhærentes, adduci non poterant, ut ad specialia descendenterent,

§. LIII.

*Joannes Sleidanus Argentinensium
Deputatus Tridentum veniens.*

Paulo post seu vigesima secunda No-
vembris Joannes Sleidanus, qui
hujus temporis historiam ab anno Do-
mini millesimo quingentesimo decimo
septimo cœptam usque ad annum mille-
simum quingentesimum quinquagesi-
mum sextum concinnaverat, ab Argen-
tinensi urbe deputatus Tridentum venit,
ut cum Mauritii Electoris, ac Wittem-
bergici Ducis Oratoribus communem
caussam ageret. Huic quoque civitati
fese adjungebant Eslinga, Ravespur-
gum, Rotelinga, Biberacum, & Linda-
via, quæ omnes urbes Sleidano, ut
simil cum iis, quos etiam ipsæ ablega-
runt, earum nomine ageret, potesta-
tem fecerant: Norimbergenes vero
Cæsaris indignationem veriti in hac oc-

Thuan. &
Sleid. l.c.

G 2 casio-